

*Consequentia adversariorum laborant in æquivoco.* — Juxta hunc autem sensum illius propositionis, consequentia omnes quæ ibi fiunt, vel laborant in æquivoco, vel nullius momenti sunt; quod enim primo inferitur: *Ergo causa secunda habet a prima quod operetur*, si habeat hunc sensum: Ergo habet a prima actualem concursum quo operatur, vel, ut operetur, sic optima est consequentia, nihil tamen adversarios juvat; si vero sensus sit: Ergo causa secunda habet a prima, ultra virtutem suam, aliquam motionem qua specialiter inclinatur vel determinatur ad operandum, ratione cujus specialiter tribuitur causæ primæ operatio causæ secundæ, sic negatur consequentia, quia hoc impertinens est ad veritatem et proprietatem illius antecedentis; unde altera consequentia quæ ibidem subjungitur: *Ergo Deus est causa quod causa secunda operetur*, si solum per hæc verba significetur Deum esse causam necessariam sine cujus auxilio actuali non potest causa secunda operari, sic admitti potest illatio, quia verba non sunt a tali sensu aliena, et sensus ille verus est. Sic autem nulla est ultima illatio de prioritare naturæ Dei in causando, nisi in sensu explicato de prioritare naturæ, quoad dignitatem et independentiam. At vero si per illa verba secundi consequentis significetur Deum esse causam specialiter applicantem aut determinantem causam secundam ad causandum, sic negatur illa consequentia, quia nullam annexionem habet cum antecedenti sane intellecto, ut declaratum est.

*Potentia passiva, ut reducat in actum, indiget quod recipiat illum ab aliquo agente.* — *Duplex reductio de potentia in actum, una agentis, altera potentia passivæ.* — Tertia probatio est profecto indigna viro docto, nam illa maxima: *Quod nunc est in potentia, et postea in actu, reducitur in actum ab alio priori actu*, intelligitur de potentia passiva, non de activa, nam potentia passiva indiget, ut reducat in actum, quod recipiat illum ab aliquo agente; quia agere nihil aliud est quam reducere in actum id quod est in potentia; at vero quod existit in potentia activa non indiget superiori agente, ut ab eo reducat in actum, sed sua virtute reducitur, sicut sua virtute agit, quia talem potentiam reduci in actum, nihil aliud est quam agere; unde potius repugnat tale agens in potentia reduci in actum agentis, ut sic, ab extrinseco principio quod solum habeat rationem agentis in tali reductione; quod addo,

quia iste est sensus argumentis, manifeste falsus; nam si in illo non loquitur, nihil confert illa propositio ad ejus intentum; igitur quando agens alias sufficiens ad agendum est tantum in potentia, et non in actu agendi, si sit naturale agens, proveniet ille status in potentia vel ex defectu materiæ et passi, vel ex defectu applicationis agentis, aut alterius conditionis necessariæ, et tunc, ut reducat in actum, oportebit præcedere actionem per quam illa conditio fiat, et interdum per mutationem agentis, et aliquando per ablationem alicujus impedimenti interjecti; positis autem omnibus prærequisitis, adhuc agens manet in potentia prius natura quam agat; reducitur autem in actum in posteriori natura per suamet actionem, et ita non reducitur recipiendo aliquid in se a superiori agente, sed producendo aliquid ex se per suam virtutem activam; quia tamen hæc virtus creata est et participata, indiget cooperatione primæ causæ et quoad hoc dici potest reduci in actum a superiori agente, in sensu quo diximus causam secundam recipere a prima suam operationem. In hoc autem sensu non sequitur hujusmodi agens reduci in actum per actionem superioris agentis, quæ in ipsomet inferiori recipiatur, et ordine naturæ præcedat actionem ejus, ut male in illa probatione inferitur. At vero si agens sit liberum, etiamsi habeat completam totam virtutem agendi, et applicatam omnem conditionem necessariam et præviam ad agendum, et ablatum omne impedimentum, adhuc potest existere in potentia, seu, quod idem est, in proximo actu primo sine actu secundo, idque ex mera libertate ac dominio in suam actionem. Per eandem ergo libertatem reducitur hoc agens de tali potentia in actum, influendo per actum primum in secundum, estque ibi duplex reductio: altera agentis, quæ est prima omnium, et fit per emanationem propriæ actionis a tali potentia; altera reductio est potentia passivæ (loquimur enim de agentibus liberis creatis), et talis reductio fit per receptionem ipsiusmet actionis et passionis, ac termini intrinseci ejus in eadem potentia, quæ simul est activa et passiva, et ita reductio receptiva, ut sic dicam, potius fit per mutationem consequentem ad actionem quam per motionem præviam ad eandem actionem, et tamen hæc reductio non ita fit a libero arbitrio, quin etiam fiat a prima causa, non quidem prædeterminante, sed cooperante ipsi libero arbitrio; quod si reductio pertineat ad

ordinem gratiæ, necessaria erit cooperatio Dei, non solum ut primæ causæ, sed etiam ut principalis agentis in illo ordine, elevantis ac præparantis inferius agens liberum, et cooperantis cum illo, quando ipsum se determinat ac se reducit de tali potentia in actum.

*Causa secunda dupliciter subordinatur primæ, scilicet, ut recipiens et ut actu agens.* — Ad quartam probationem, negatur major, videlicet, quando duæ causæ sunt subordinatæ, necessario debere unam earum prius natura influere quam aliam, loquendo de prioritare naturæ, fundata in causalitate prævia unius causæ in aliam, de qua est quæstio, nam de alia prioritare excellentiæ et perfectionis jam non tractamus; cum autem dicitur, sublata illa prioritare naturæ, non posse intelligi in quo sit posita subordinatio, similiter id negatur, quia nulla ratio cogit ut coarctemus subordinationem ad illam prioritatem naturæ. Cum potius, etiamsi admitteremus illam præviam motionem aut prædeterminationem, necessarium semper esset aliud genus subordinationis admittere. Quia causa secunda, quantumcumque præmota, applicata et determinata a prima, adhuc manet pendens in actuali actione ab actuali et simultaneo influxu causæ primæ; ergo in hoc est illi subordinata, et non tantum in his omnibus quæ prævia sunt ad actionem, in quibus magis subditur causæ primæ ad recipiendum quam immediate ad agendum; quæ distinctio est attente consideranda, quia causa secunda dupliciter subordinatur primæ, scilicet, ut recipiens et ut actu agens; prior subordinatio consistit in hoc quod a prima causa recipere debet quicquid in se habet necessarium, vel conferens aliquo modo in ratione actus primi, vel conditionis necessariæ ad agendum, in quo concludenda esset illa prædeterminatio prævia si esset necessaria; nos autem dicimus sine illa sufficienter subordinari causam secundam primæ quoad hanc partem. Posterior autem subordinatio in agendo, ut sic, solum consistit in hoc quod tota virtus et motio prævia recepta in causa secunda est imperfecta simpliciter, et incompleta ad agendum se sola, indigetque natura sua actuali cooperatione ipsiusmet primæ causæ a qua recipit virtutem agendi. Unde ad illam comparisonem et æquiparationem, quæ fit inter causam primam et secundam, respondemus in aliquo quidem esse similitudinem, scilicet, quod ille influxus, quem prima causa præbet

quando concurrat cum secunda, solus non sufficeret ad effectum, sicut nec influxus causæ secundæ solus sufficiens erit, et ideo repugnat unum in re poni sine alio; est tamen magna diversitas in radice et modo hujus connexionis, nam causa secunda hoc postulat ex intrinseca natura et indigentia, causa autem prima minime, sed quia voluntarie se accommodat necessitati causæ secundæ, ut eam juxta naturam illius agere sinat et juvet. Unde fit, quod supra dicebamus, ut influxus causæ secundæ, tam in particulari quam in toto genere suo, habeat illam dependentiam a causa prima; influxus autem causæ primæ non ita se habet, nam ex genere suo operari potest sine causa secunda, licet in particulari adhiberi etiam possit per se insufficientem sine influxu causæ secundæ; ex hac ergo diversitate nascitur ut causa secunda vere ac simpliciter sit dependens in agendo a causa prima, et non e converso, quia dependentia dicit intrinsecam necessitatem et indigentiam, et eadem ratione causa secunda subordinatur primæ, et non contra, ut jam satis constat.

*Motio causæ primæ ut modificetur a causa secunda.* — *Deus nihil agit ex necessitate materiæ, nec quoad qualitatem, nec quoad modum efficiendi.* — Ad quintam probationem de modificatione concursus causæ primæ a secunda, respondemus primo, si id sequitur, non minus sequi in contraria sententia quam in nostra, tum quia, ut dixi, sententia illa non potest negare simultaneum concursum post suam motionem præviam; in illo ergo concursu erit eadem modificatio; tum etiam quia ipsamet motio prævia necessario modificatur a causa secunda, tanquam a proprio receptivo; motio enim causæ primæ de se universalis et indifferens est; in unaquaque autem causa secunda recipitur juxta modum ejus; ergo per illam modificatur ad eum modum quo influxus solis modificatur juxta diversitatem passi in quo recipitur. Unde quoad hanc partem affirmativam præcise sumptam nullum esset inconveniens concedere illam sequelam, scilicet, concursum causæ primæ modificari a secunda; ita enim multi Scholastici loquuntur, et de aliis causis universalibus id admittit prædictus auctor, nec involvit ullam repugnantiam vel imperfectionem, etiam respectu primæ causæ, quia licet causa prima operetur virtute infinita, et sit magis independens ab omni causa secunda quam omnis causa creata superior ab inferiori, nihilominus non operatur in singulis effectibus se-

cundam totam infinitatem suam, et quando concurret cum causis secundis, unicuique offert concursus juxta capacitatem ejus, et hoc est causam secundam modificare concursus causæ primæ, si in bono et sano sensu intelligatur. Nec inde sequitur causam secundam in aliquo genere causæ prius natura concurrere, quam causam primam; sed ad summum sequitur prius natura et ex se esse capacem talis concursus causæ secundæ ad actualem concursus causæ primæ; sed capacitas concursus ad collationem seu determinationem ejus non sufficit. Comparando autem actuales concursus inter se, sicut non est inter eos distinctio in re, ita nec prioritas; sicut autem ratione distinguuntur, ita sine inconvenienti dici possunt secundum diversas rationes esse ad invicem prius et posterius secundum rationem, quanquam convenientius sit hanc locutionem vitare ad tollendam offensionem. Quia vero in illa probatione quinta non solum inferitur illa pars affirmativa de modificatione concursus causæ primæ a secunda, sed etiam additur alia negativa, scilicet, hanc modificationem non fieri ex voluntate et intentione Dei, ideo simpliciter neganda est sequela, quia consequens illud erroneum est quoad hanc posteriorem partem. Deus enim nihil agit ex necessitate naturæ, nec quoad qualitatem, nec quoad modum efficiendi; ergo etiam dum operatur cum creatura, non ab ipsa ita determinatur ut necessitatem aliquam ei inferat; ergo necesse est ut modus operationis et influxus Dei sit ex electione et voluntate ejus. Nec tamen pars illa seu sequela habet ullum fundamentum in nostra sententia, quia potius nos dicimus sua voluntate offerre concursus unicuique causæ secundæ accommodatum, et ita simul concurrunt ad hanc determinationem et causa secunda postulans, ut ita dicam, et causa prima sua voluntate offerens, et ideo dicitur causa secunda quasi materialiter determinare, causa vero prima efficienter. Postquam vero Deus suum concursus obtulit, et suam omnipotentiam applicuit ad influendum cum causa secunda juxta modum ejus, tunc, influente causa secunda, necessitate quadam cooperatur illi causa prima, et modo illi accommodato, quæ necessitas non provenit a causa secunda, sed ab ipsa divina voluntate, nec est imperfectio, quia non est necessitas simpliciter, sed immutabilitatis et omnipotentia, quæ operatur quidquid vult et quomodo vult.

*Alvarez.*—Sexta ratio principalis et ultima in

hoc primo capite esse potest, quia causa principalis prius natura influit in effectum quam instrumentum; sed omnis causa secunda, sive naturalis, sive libera, comparatur ad primam, ut instrumentum ad causam principalem; ergo præcedit ordine naturæ influxus causæ primæ. Major supponitur ex philosophia, quia instrumentum non agit nisi motum a principali agente, et ideo necesse est ut præcedat, saltem ordine naturæ, motio principalis agentis, quæ vocatur influxus seu concursus ejus; minor autem probari potest primo, ex illo Isaia 40: *Nunquid gloriabitur securis contra eum qui secat in ea, aut exaltabitur serra contra eum a qua trahitur, quomodo si elevetur virga contra elevatam se, et exaltabitur baculus, qui utique lignum est.* Quorum verborum sensus esse videtur hominem nihil habere in operibus suis unde gloriatur, quia solum agit ut instrumentum motum a Deo. Ubi quidam novus expositor ut suam de auxilio prædeterminante proferat et muniat sententiam, sic inquit: *Virtutem regis Assyriorum virgæ comparavit, et baculo, non autem arbori, arbor enim motum habet et vitam, et florem et frondes, fructusque producit, baculus autem inanime quidam est et immobile, et nisi moveatur ab alio, nihil ea se poterit operari; sic se habent omnes causæ secundæ, sive naturales, sive libere respectu primæ et universalissimæ, videlicet Dei a quo nisi efficaciter ad suas operationes moveantur, se movere non possunt, aut boni aliquid efficere, qui ad hoc suum dogma confirmandum varia testimonia congerit, quæ in sequentibus capitibus examinabimus. Imo idem auctor, Isai. primo, versiculo 53: *Si volueritis et audieritis me, non solum instrumento sed umbræ comparat hominem respectu Dei, et illud Genes. 1: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, legit ipse: Ad umbram et similitudinem nostram, ut significaret, inquit, quod sicut umbra non habet ea se motum aliquem, nec potest habere, nisi illum quem a corpore cujus est umbra participat, ita homo bonum motum, qui ad salutem animæ pertinet, habere non potest, nisi a Deo, cujus est umbra, moveatur.** Ratione potest illa minor propositio confirmari, quia magis subordinantur omnes causæ secundæ divinæ voluntati quam membra corporis humani voluntati animæ; sed membra corporis comparantur voluntati, ut instrumenta ad agens principale; ergo multo magis ita comparantur causæ secundæ ad voluntatem Dei; etenim causa secunda nihil operari potest, nisi quod Deus*

voluerit; præcedit ergo voluntas Dei, sicut ad motionem brachii præcedit voluntas hominis, et majori efficacia sequitur actio causæ secundæ ex voluntate Dei quam motio brachii ex voluntate hominis.

*Singulæ adversariorum propositiones non sufficiunt ad inferendum intentum.* — Ad hoc argumentum multa dici possunt circa singulas propositiones in eo assumptas; neutra enim illarum est universaliter vera; et cum proportionem sumptæ insufficientes sunt ad inferendum consequens intentum. Quod ergo attinet ad majorem propositionem de comparatione inter causam principalem et instrumentalem, respondemus quædam esse instrumenta quæ non conjunguntur causæ principali, nisi per novum motum receptum in instrumento a causa principali, ut contingit in calamo aut serra respectu artificis, et in his maxime habet locum illa propositio, præcedere, scilicet, ordine naturæ motionem causæ principalis, nam per illam facit ut ipsum instrumentum proxime operetur. Solet autem hujusmodi causa principalis non attingere per se et immediate, immediatione, ut aiunt, suppositi, effectum seu actionem instrumenti, sed solum per instrumentum ipsum, ut videre licet in exemplis de calamo et serra, nam scriptor non attingit litteram nisi per calamum. Si ergo de iis instrumentis sit sermo, conceditur major illius argumenti, et negatur minor, non enim ita comparantur causæ secundæ ad primam, ut mox dicemus. Alia vero sunt instrumenta, quæ conjunguntur principali agenti in ordine ad operationem per naturalem subordinationem. Sic calor dicitur instrumentum formæ ignis, vel ad calefaciendum, vel, quod verisimilius est, ad producendam formam ignis, in qua productione nulla motio prævia antecedit circa ipsum calorem quæ sit a forma ignis, sed ipsemet calor manans a tali forma natura sua subordinatur illi in agendo, et ideo operatur ut instrumentum ejus. Sic etiam potentiæ animæ dicuntur organa ejus; quando autem anima operatur per potentias, non præcedit motio ab essentia animæ in potentiam distincta a naturali emanatione potentiæ ab anima, et addens aliquid supra entitatem potentiæ. Sic etiam multi putant phantasma esse instrumentum intellectus agentis, quamvis intellectus agens non habeat operationem præviam circa ipsum phantasma; est enim vana, et inintelligibilis, et superflua. Sacramenta sunt hoc modo instrumenta Dei ad efficiendam

gratiam, ut late dixi in t. 3 partis 3; et voluntas et intellectus possunt etiam dici instrumenta Dei ad supernaturales actiones efficiendas, ut latius declaravi in 1 tom. tertiæ partis, disp. 31, sect. 6, proxime ante solutionem argumentorum. In his ergo instrumentis falsa est illa major propositio assumpta, nam etiamsi virtus principalis agentis et forma ejus immediate influat in effectum et actionem instrumenti, tamen non prius natura influit in ipsum instrumentum aliquid distinctum ab entitate ipsius instrumenti, unde non est etiam duplex actio, una instrumenti, et altera principalis agentis, sed est una et eadem, ab utroque in suo genere manans, cum subordinatione eorum inter se. Unde non potest esse prioritas naturæ, cum hæc requirat distinctionem in re, ut sæpe dixi, sed est sola prioritas excellentiæ seu principalitatis, ut supra explicatum est.

Quod attinet ad comparationem inter causas secundas, et primam, quæ in minori propositione fit, propositio illa universaliter sumpta falsa est, nam imprimis causæ secundæ, in ordine ad proportionatos et connaturales effectus, simpliciter sunt causæ principales quæ operantur propria virtute, et in proprio genere proximæ sufficientes ad tales effectus. Deinde tales causæ non recte comparantur instrumentis quæ indigent actuali motione causæ principalis prius in se recepta, nam illa indigentia provenit in illis instrumentis ex defectu virtutis sufficientis, vel ex defectu applicationis ad agendum; neutra autem ratio habet locum in causa secunda principali; si ergo D. Thomas vel aliquis auctor gravis interdum vocat has causas instrumenta, solum est propter naturalem subordinationem et dependentiam in agendo ab actuali influxu primæ causæ, vel etiam interdum dicuntur instrumenta secundum quamdam moralem rationem, ut statim dicemus.

Unde constat multo magis esse falsam illam propositionem in agentibus liberis, respectu eorum actuum quos virtute naturali et principali elicere possunt. Primo quidem, quia simpliciter sunt causæ principales talium actuum, et ideo ex ea parte inepte comparantur illis instrumentis quæ operari non possunt, nisi prius in se actualem motionem a solo agente principali recipiant. Secundo et maxime, quia habent dominium et propriam determinationem in suis actibus; unde quod citatus expositor colligit ex loco Isaia, causas tam liberas quam necessarias esse instru-

menta, non tanquam viva arbor, sed tanquam inanimis baculus, idque non metaphoricè tantum, sed proprie, plane contradicit definitioni Concilii Tridentini, damnantis eos qui dicunt voluntatem moveri a Deo, ut inanime instrumentum; nec minorem errorem præ se fert altera comparatio de umbra, quæ non solum vitam non habet, verum etiam nihil per se operatur, nec in eo genere motus quem habet intelligi in ea potest aliqua indifferentia, quia non est nisi resultantia quædam ex motu alterius. Illa autem lectio testimonii Genesis, auctoritatem non habet, vel, si admittatur, reducenda est ad veram lectionem Vulgatæ editionis; comparatur enim homo umbræ, quatenus est ad imaginem Dei, non propter motum, sed propter representationem, quia umbra est quædam imperfecta imago. Verba autem Isaïæ, ut recte notavit Driedo, de Captiv. et redempt. gener. hum., tit. 6, p. 2, cap. 2, non sunt in omnibus, et cum omnimoda æqualitate accommodanda, sed secundum quamdam similitudinem, quia instrumentum inanime, sine proprio iudicio et deliberatione, ab alio applicatur ad opus; voluntas autem humana non sic applicatur a Deo; non ergo in hoc fit comparatio, sed in hoc quod tota virtus agendi, et ipsamet actio intrinsece pendet a Deo; item in hoc quod Deus sua omnipotenti et suavi providentia ita utitur voluntatibus humanis ad suos effectus, ut eos infallibiliter juxta modum a se præscriptum consequatur, ac si illas determinaret et moveret ad unum tanquam physica instrumenta. Est autem ponderandum in loco Isaïæ sermonem esse de operibus pravorum hominum qui per potentiam affligunt populum Dei, et Hieronymus ibi sententiam illam extendit ad hæreticos tyrannos etiam, qui sunt omnes tanquam virgæ in manu Dei ad exercendum vel puniendum fideles propter peccata sua. Quis autem dicat hominem prave utentem sua voluntate esse proprie instrumentum directe et per se motum ac determinatum a Deo ad volendum talem effectum? Est ergo comparatio aliqua ex parte metaphorica, tenetque similitudo, physice loquendo, in subordinatione et dependentia voluntatis humanæ a divina; moraliter loquendo, tenet in hoc similitudo, quod omnes eventus et effectus hujusmodi proveniunt præcipue ex divina providentia ordinante vel permittente quicquid in eis invenitur; unde quia Deus intendit et vult afflictiones servorum suorum, et ad hunc finem

permittit tyrannum operari et abuti potestate sua, et aufert omnia impedimenta quæ possunt impedire tales effectus, ideo dicuntur pravi homines esse instrumenta Dei.

*In operibus gratiæ voluntates humanæ sunt instrumenta Dei.* — At vero in operibus gratiæ cum majori proprietate dicuntur causæ secundæ et voluntates humanæ esse instrumenta Dei, et indigere prævia motione et elevatione qua præparentur ad supernaturales actiones, quia de se sunt causæ improprietate et inferioris ordinis. Hinc autem non sequitur moveri humanas voluntates ad hujusmodi actiones, motione prædeterminante et physice applicante illas ad exercitium actus, quia per hanc motionem et elevationem, quatenus ordine naturæ antecedit, non extrahitur voluntas e connaturali modo operandi quantum ad dominium et libertatem actionis, sed solum quoad perfectionem et excellentiam actionis; per illam ergo præviam motionem et elevationem solum recipit voluntas supernaturalem vim operandi, et habet paratum ex parte Dei adiutorium et concursus tali actioni proportionatum; voluntas autem sic præparata et elevata, vel jam non comparatur ut proprium instrumentum, sed ut virtus principalis proxima, et ideo non indiget alia motione prævia, sed solo auxilio simultaneo; vel certe, licet aliquam propriam rationem instrumenti retineat quantum ad eam improprietatem quæ ex parte potentiæ semper manet, ut supra declaratum est, non tamen quoad hanc partem comparatur instrumentis, quæ conjunguntur agenti per actualem motionem in se receptam, sed illis quæ per se habent intrinsecam subordinationem ad principalia agentia; sic enim voluntas humana per se habet innatam virtutem obedientialem, ut elevata per gratiam possit supernaturaliter operari ut instrumentum vitale ac liberum, dependens ab actuali influxu altioris ordinis manante a Deo ut a principali agente, absque nova prævia motione et applicatione repugnante libertati.

Ad ultimam vero rationem et comparationem inter causas secundas et voluntatem Dei ex una parte, et organa corporis humani et voluntatem hominis ex alia, respondetur imprimis, etiamsi admittatur similitudo, non sequi causas secundas recipere in seipsis aliquam motionem præviam procedentem a voluntate Dei. Nam membra corporis humani, quando localiter moventur ad nutum voluntatis vel appetitus, non recipiunt

in se aliquam realem motionem intrinsecam distinctam a motione locali, et priorem illa, sed solum exercent talem motum ad præsentiam voluntatis. Quod enim quidam probabiliter judicant, tunc membra corporis recipere aliquem modum realem a voluntate, prævium et distinctum ab ipso motu, incredibile est. Quia nec voluntas humana habet tantam efficacitatem, nec concipitur quis sit ille modus, vel quæ sit necessitas ejus, unde, qua facilitate asseritur, contemnitur. Quia sympathia potentiæ per radicationem in eadem anima ad hoc sufficit; quis enim credat, quando voluntas vult ut intellectus eliciat assensum fidei, producere in ipso intellectu aliquem modum realem distinctum ab assensu fidei, et prævium ad illum? Est profecto id vanum et fictum; sed eadem anima, quæ per voluntatem vult credere, statim per intellectum credit.

*Instantia.*—*Respondetur.*—Sed aiunt: esto voluntas humana non applicet potentias sibi subjectas imprimendo aliquid in illis, necesse est ut voluntas divina id faciat in causis secundis, quia voluntas divina efficacior est, et non est applicans extrinsecum, sed applicans per se, cujus motio est principium per se cujuscumque operationis quæ postea subsequitur, alias imperfecte moveret sicut alia applicantia extrinseca, quæ imperfectio non est Deo tribuenda. Respondemus multo minus esse necessariam illam impressionem, seu motionem præviam procedentem a divina voluntate in causas secundas, quia supponimus illas esse perfectas in actu primo, quoad applicationem vel alias conditiones similiter requisitas ex parte actus primi, quia jam non indigent alia applicatione vel determinatione, quæ sit prævia ad ipsam actionem. Unde quod Deus non det talem applicationem, non est imperfectio, quia non est ex impotentia, sed quia necessaria non est, vel certe quia, eo modo quo insinuat ab illo auctore, repugnantiam involvit; nam, si applicatio per se vocetur illa actio per quam datur id quod est principium per se ulterioris actionis, sic verum est causam primam per se applicare causas secundas, quia eis dat virtutes quibus inclinantur vel determinantur ad agendum; hæc autem virtus non consistit in actuali motione prævia, sed in ipsa intrinseca forma, vel potentia, aut habitu, vel alio simili intrinseco principio agendi; ob hanc ergo applicationem non est necessaria illa motio; si autem ultra hanc appli-

cationem requiratur alia magis per se, ut, scilicet, immediate attingit ipsum effectum vel actionem ad quam fit applicatio, sic non solum est superfluitas, quia sine ulla necessitate hoc fingitur, sed etiam est repugnantia, quia ut supra ostendi, motio, quæ fit in ipsa causa, non potest per se vel immediate terminari ad actionem quæ transit in effectum; sed prius agere debet aliquid in ipsamet causa, quod deinde sit principium actionis in effectu, et ita illa prævia applicatio per se solum est in actu primo. Quod si vocetur magis per se, quia infallibiliter infert actionem, etiam in naturalibus agentibus id habent naturales virtutes ex natura sua, in liberis autem talis applicatio prævia repugnaret libertati. Quocirca in omni agente actualis applicatio, quatenus est aliquid ultra virtutem agendi, non est aliquid distinctum ab ipsa actione, et in tantum est per se a prima causa, in quantum Deus immediate influit in illam, quod non facit per motionem præviam, sed per concursum simultaneum.

Sed urgebat aliquis, quia, licet demus Deum non imprimere causæ secundæ aliquam entitatem præviam, saltem probat argumentum per voluntatem applicare causam secundam ad agendum, ad eum modum quo voluntas hominis organa corporis applicat ad motum per subordinationem vel sympathiam potentiæ. At hoc satis est ut dicatur Deus prius natura applicare causam secundam sicut dicitur voluntas hominis prius natura applicare membra corporis. Eademque difficultates ex hujusmodi applicatione oriuntur, nam sine Dei voluntate non possunt causæ secundæ operari, sicut nec membra corporis sine appetitu moveri, et posita Dei voluntate, non possunt causæ secundæ ei resistere, sicut membra hominis expedita non possunt resistere voluntati efficaciter moventi. Respondetur imprimis, si de causis naturalibus tantum esset sermo, nullum fore inconueniens totum id admittere, quod argumentum intendit, licet revera necessarium non sit, ut ex iis quæ de causis liberis dicemus constabit; ut enim causæ secundæ operentur, non est necessaria alia voluntas Dei, per quam illas applicet ad operandum, præter eam voluntatem qua illis dedit naturam et virtutem sufficientem et determinatam ad unum, eisque suum concursus obtulit, et unamquamque juxta suam naturam sinere voluit operari; nam hæc sunt principia sufficientia, tam ex parte causæ secundæ quam ex parte divinæ provi-